



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Rei Poenitentis Simplex Et Hymnis Confessio

Coloniae Vbiorm, 1645

CAP. XXXIX.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10133

ram ; incitabam , impellebam voluntatem meam ad volendum, ad currendum, at illa votis meis non respondebat. nam quod volebam bonum , hoc non agebam ; quod oderam malum, illud faciebam. quod ideo mihi evenire, ipse etiam sensi, ut meo exemplo discerem, diabolicis suggestionibus non ita facilem ad me aditum præbere , neque eo me præcipitem dare , unde non sit mihi liberum , cum velim, exire.

C A P. XXXIX.

Verum, cum hoc tam grave tamque severum animadversionis genus ab ira indignationis tuæ in me prodire non ignorarem, ex omnibus medullis & intimis cordis mei has tibi preces & supplicationes edebam : Ut quid Deus recessisti longe , despicias in opportunitatibus, in tribulatione ? obsecro , Domine , ne obliviscaris in finem ; respice in adiutorium meum , cum sit nemo , qui me possit eruere de lacu miseriae, & de luto facis, ubi totis animæ vestigiis inhæreo, nisi tu Deus virtus salutis meæ : quod si me dereliqueris, quo confugiam ? unde auxilium expetam ? ab hominibus ne ? à meisne viribus ? satis jam satis meo malo didici, quantum sit in illis firmitatis ac roboris ; nam cum, eisdem consitus, sursum ad te niterer , non tam ascensum mihi paravi, quam ruinæ periculum struxi. quamobrem bonum est mihi, adhærere tibi , ponere in te Deo meo spem meam ; ad quem nemo potest venire, nisi tu ipse traxeris eum : trahe igitur me post te ; curram in odorem fragrantis misericordiæ tuæ : recordare, cuius sim condicionis atque